



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

XXXI. Hebræorum cum Madianiticis fem. libido.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

neribus excideret, aliam viam iniit, quâ Hebræis noceret; quibus cum per auguria, & divinationes maleficium inferre non posset, auctor est Balaaco, per mulieres ut *Moabiticæ & Madianitidas*, ut erant eximiâ formâ præstantes, ad amorem eos prius, deinde ad *Beelphegoris* idoli cultum pelliciat, ita futurum, ut suô se laqueô, simul & irâ Numinis induerent, cujus destituti præsiديو, haud dubiè essent sine armis perituri. Quale consilium, talis eventus; utrumque pessimum. quod deinceps referemus.

NARRATIO XXXI.

HEBRÆI DANT POENAS SACRILEGÆ LIBIDINIS, CUM MOABITICIS ET

Madianiticis fæminis commissæ Num,

25. Anno Mundi 2583. Ante

Christum 1470.

Quid non facit pallax fæmineo in corpore forma! quanta est illecebra & vis pulchritudinis! quod armatorum vigor sæpe non potest, fæminarum potest mollities. Vincuntur specie, qui non vincuntur prælio, læditur osculis, qui spiculis non vulneratur. delitijs emollitur, qui non frangebatur tormentis. Gratia flectitur, qui terroribus non concutiebatur. dictorum fidem adstruet, quod narro. Proximè superiùs diximus, *Balaamum* præstigiatores, Israëlitis imprecari nefasta conatum, à DEO

DEO semper in contraria raptum : necquicquam repetitis sapius, & aris, & Sacrificiis, ac vaticiniorum carminibus, Hebræo populo fortunatis, Numinis afflatu, coactūque, in Mesopotamiam denique suam esse reversum. Eò tamen antequam perveniret, *Balaaco* regi, ne penitus mali nihil homo pessimus patraret, suaforem fuisse, ut Israëlitas, oblati, obtrusisque per feminas illecebris, in ea præcipitastuderet scelera; propter quæ DEO, Tutori suo, vel maximè fierent execrabiles, & ideò, quibusvis deinceps, etiam imbellissimis, superari perfaciles. Gavissus consiliò nefariò *Balaacus*, ut cui satis esset, in regno suo pacatas sibi res esse; seu per fas id, nefasve, sive per Inferos, aut Superos, assequeretur electissimæ formæ mulieres, ex omni, tam *Moabiturum*, quàm *Madianitarum* regno conquirendas curavit, & ad se perducendas: quæ mox, speciem suam, amictūs insuper apparatus, perpolientes, ad Hebræorum extrema castra, per sacrificandi causam, velut pudibundæ, cunctantesque subreperent. Sacrificio delecta erat, *Séthima*: locus, illius incorrupti lignememoribus frondosus: ac valle, quam *Sattim* appellabant, amœnus. DEUS autem, cui litaturas feminae profitebantur, *BELPHEGOR* erat, Priapus aliàs, vel ipsa nominatione pudendum simulacrum; vocatur etiam *Phegor*, *Phogor*, *Baal*, *Bel*.

Tales igitur, *Moabitides* illæ, & *Madianitides* confederant in extrema Sethimææ vallis parte: lascivie gestibus, procacibusque verborum irritamentis choreis quoque, fractisque in mollitiem cantiliens, juvenuti militari fraudem struentes. Cùm non desint, inquit lenocinantes, domi facultates

„ amplæ : nnc parentum ac domesticorum affectus ;
 „ nec corporis formam huc nundinaturæ veneri-
 „ mus ; sed ut viros formâ inclytos hospitali gratiâ ,
 „ obsequiôque demereremur, faciliores nos amori-
 „ bus vestris præbuimus. Nunc verò, cum vereaa-
 „ mur, ne libidine exfatiatâ, retrò cum injuriâ, con-
 „ tumeliâque ablegemur ad parentes, cupimus le-
 „ gitimis vobiscum nuptijs copulari ; si tamen quem-
 „ admodum corpora erunt communia, sic etiam e-
 „ adem esse Sacra velitis ; neque enim sat fidis jun-
 „ guntur thalamis, qui dissident aris ; patriam vo-
 „ bis cum dijs patrijs offerimus ; per vos stat. diuti-
 „ us errare per alienas terras , an stabilem hîc domi-
 „ ciliorum , & amorum sedem esse malitis. Quid
 „ multa ? frons, oculi, vultus, forma feminarum qua-
 „ vis suadâ potentiùs perorârunt. Vicit viros invi-
 „ ctos libido, & ex pectoribus animum, avitâmqve
 „ Religionem excussit. Non plebs duntaxat, sed &
 „ de nobilitate, numerôque Principium nonnulli me-
 „ retricijs amoribus sunt implicati ; & , quod magis
 „ abominandum, ijsdem quoque impurissimis Sacris,
 „ ne delicias illas suas aut amitterent, aut contrista-
 „ rent, operari non dubitârunt. Sacrilegis in vesti-
 „ gio supplicium hæsit ; pestilitate divinitus immisâ,
 „ vastari castra cæpta ; punitumque bubonum, &
 „ carbunculorum ardore, quid libidinoso corporum
 „ igne peccatum erat. Nec eò contentus suppliciô
 „ DEUS ; in eos primùm graviùs exarsit, qui præter
 „ vetitam corporum inquisitionem. insuper & Pria-
 „ pi Sacerdotium accepissent ; turpissimi simulacri
 „ cæremonijs initiati Procerum. Quos ille cunctos,
 „ habitô per Mosen (nam hæc ante eius mortem con-
 „ ti-

tigerunt) conciliò, conquisitos, ac sacrilegij convictos, duci iussit; &, è regione micantis solis, in crucem tolli: quò supplicij fierent, qui sceleris fuerant, plebi spectaculum. Post hos, qui quoquo modo Priapéis se manculássent, nec tamen adhuc vel lue, vel fune pœnas dedissent; necari ferro præcepit: nullo propinquitatis, aut generis habito, per eos, qui cædis ministerium exsequerentur, discrimine. Quò factum est, ut exiguum intra tempus, nocentium capitum, vel peste, vel reſte, vel gladiò sublata sint, quatuor, ac viginti millia. Nimirum in febris tam pestilenti & vulgari plurimis debuit mitti sanguis, ne contagio traheret omnes.

NARRATIO XXXII,
ZELUS PHINEÆ IN
VINDICTA FOEDI CONCU-
bitûs sumenda. Internecio Madianitarum
Num. 25. & 31. Anno Mundi 2583.
ante Christum. 1470.

STragis, quam memoravimus, tam ingentis, oculis objecta gravitas, nondum sanavit tamen animos omnium libidine fascinatorum. Usqueadeo tenax est, ac lentum hominis malum, Lasciva cupiditas: ut, quem semel infederit, eum in furoris cursum pertinaciter propellat; ac sine præcipitio vix unquam dimittat. Pœnas non videt, dehortamenta non audit; futura non præmediatur; &, in summa, nec oculos cæca, nec aures surda,